

# ORATIO INAUGURALIS

IN REGIA

VALLISOLETANA UNIVERSITATE

HABITA

**A D. D. D. LAURENTIO ARRAZOLA**

*in eadem Universitate Academ. Orator.*

*Moderator.*

XV KALEND. NOV. ANN. DÑI. M.D.CCC.XXXII.



VALLISOLETI APUD APARICIO.

G-F 4879

GRATIA IN VIGILANTIA

IN REGIA

VALLISORIANA UNIVERSITATE

Etenim omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent,  
habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione  
quadam inter se continentur.

*Cic. pro Arch. Poët.*



VALLISORIANA UNIVERSITATE

t. 81294  
DGCL  
A

(1)

...cunctis subeant, cum vos, et quae docti medicis  
...et quae tentare paratis, salutem vestram, ju-  
...et dilecta parentum, in quos, par-  
...Vires, tuae salutis commendat. Tu sibi  
...suum, quo te laetissima

**E**n tandem redit, amplissimi Viri, en grata  
fulget læta, expectataque dies, quâ sollicita,  
cara hæc, nostraque omnium diligentissima Ma-  
ter, et nos provocat, et teneros, carissimos sibi  
Alumnos, quos diù errantes plorârat, demùm  
amplectitur. Effugit, evanuit invisâ nox, et insoli-  
to, acervo temporum rigore confracto, et gaudium  
Pintiaë, et vester iterùm saluberrimus incipit la-  
bor. Recessit tædiosa mora: flagrat avida mens:  
incitat virtus: clausa jamdiù, scientiarum limi-  
na patent: muta resolvitis ora, et denuò tan-  
dem superna sapientiæ vox sacrâ in testudine  
sonat. Accingite, ergo, vos, Doctores amplissimi:  
accingite, probatissimi *Licentiati*: accingite, assi-  
dui, ac semper indefatigati Magistri: et quiqui  
ad hanc perillustrem Academiam arcto, et num-  
quam solvendo vinculo pertinetis: quiqui rei  
literariæ præstantissimo muneri incumbitis, tanto  
exagitante die, vos accingite, atque parate.  
!Quàm pulchrum, quàm grave, quàm jucundum  
hodie vestrùm cujuscumque præclarissimum mu-  
nus sese offert, qualia, quantaque rei menti spe-

c. 1105289

R. 65833



cimina subeunt, cum vos, et quæ docti medite-  
 mini, et quæ tentare paretis, animadvertam! ¶ Ju-  
 venes! Cara, et dilecta Juventus! en queis, quan-  
 tisque Viris, tua salus commendetur. En tibi  
 dulcissimum sinum, quo te tenerrima foveat,  
 parat, ut fecit, tui cupidissima Mater. Quò qui-  
 dem, plaudente die, adsili, propera, advola. En  
 tibi totam proficiendo se præbet: en spem alit,  
 en robur infundit, en animum revocat, en de-  
 nique lubentissimo gressu portas adaperit, almo,  
 dulcique amplèxu tenerrimos suos filios iterùm  
 excipit. Ingreimini, ergo, juvenes: properate,  
 et prompti, læti, alacres, ut fecistis, in consue-  
 tam, jamque optatam arenam convolate. En qua-  
 liter vos, sublimorum detectrix, provocet Theo-  
 logia: en qualiter sacrata Canonum, nobilissima-  
 que legum Scientia: en quali, quantaque arcano-  
 rum indagine Medicina. Quarum licet præstan-  
 tissima quæque, et ardua; alia, et alia vos mul-  
 ta, et pulcherrima vocant, aliisque, et aliis ad  
 præstantissimum Literati nomen merendum vobis  
 est opus. Quod ut obtinere possitis, videte quàm  
 amplissimum campum vobis aperiat Philosophia,  
 quàm lætissimum Poësis, quàm jucundum Re-  
 thorica, quàm vastum Critices, quàm gratum  
 Œconomia, quàm novum, et dignum Geogra-  
 phia, qualem, quàmque uberrimum temporum,

factorum, et eventuum testis, Historia. Quarum pulcherrimarum artium, vel nuda enumeratione, Juvenes, si vos nominis, et gloriæ fames, et æmulationo tenet: si vos, ut credo, et honos, et speranda posteritatis memoria tangit; an non accenditis discendi amore, ne vos scientiæ, tantarumque, tamque illustrium, ac jucundissimarum artium acquirendarum cupido rapit? Succendite animo, igitur: nova dies ad gloriam pellicit: viam gloriæ parate.

Quam tamen, si quis post studiorum curricula attingere; si quis, ut decet, ad summum rei literariæ fastigium pervenire tentarit, id sibi animo fingat, id mente reponat, quod nempe, etiam si cuilibet ex his, quæ majores dicuntur, scientiis operam dederit, in eaque, quantum studiosissimo homini concedi potest, nervos intenderit, dummodo eas, quas subsidiarias dicimus artes, linguas scilicet, humaniores literas, ac Philosophiam seriò neglexerit; nec unquam, ut oportet, in eadem progressus facere, neque sapientis, neque eruditi, neque docti, prout sui amantissimum quemque, nec gloriæ immemorem decet, nomen sperare audeat.

Et re quidem ipsâ: si artium, si humanarum scientiarum naturam attentè consideremus, nemo non videt, omnes inter se connecti; immo

non nisi unam, unicamque esse universalem scientiam, sicut natura non est nisi una, unaque veritas, et cujus cæteræ, quæ dicuntur scientiæ, et artes, quidam ramusculi, seu pro-  
 manationes sunt, ipsamet ipsius participantes naturâ, et sic proinde inter se contentæ, ut ubi altera desinit, ibidem, ut ita loquar, altera incipiat: unde id necessariò sequitur, ut altera sine alteris, tanquam extraneis, aut etiam inutilibus prorsùs exclusis, neque optimè disci, nec latius, ut par est, prodesse queat. *Nullum est enim genus rerum, ajebant veteres, quod aut avulsum à cæteris per se ipsum constare, aut quo cætera si careant (1), vim suam conservare possint.*

Quòd si in re tam perspicua licet similibus uti, fingite vobis, carissimi, hanc universalem scientiam fecundissimam, atque pulcherrimam arborem quamdam esse, in quâ et truncum, et ramos, folia denique, et flores distingui oportet. Quid proderunt sine trunco ramuli, aut quid sunt sine stipite folia? Si, ergo, in hac fecundissima scientiarum arbore truncum imamque radicem ponamus Philosophiam: ramos, majores quæ dicuntur, scientias: folia denique, et

---

(1) Cic. de Orat. lib. 3.

vivida, suaviter redolentia floscula, et cultas linguas, et artes ingenuas, et eas demum, quas humaniores literas nuncupamus, quis tantum semetipsum, propria sufficientiâ suggerente, decipiet, ut, cum flosculum tantum decerpserit, jam sibi ex arbore satis habere putet? At quid est flos sine ramo, vitam et qui sumat è trunco, nisi pulchrum quidem; sed sterile quoddam nihil, et fugax sine corpore umbra? Si, ergo, flosculum, vividum, jucundum, olens, diù duraturum est, ex ramulis, trunco, communique radice, quantum propria natura exigat, sibi que sufficiat, vitam exhaurire convenit.

Quod quidem adhuc clariùs, clariùsque patebit, si munus cujuscumque scientiæ sedulò perpendamus. Medicina docet mederi; non loqui: Grammatica docet loqui; non verò mederi: Physica autem, ut alia prætermittam, neque mederi, neque loqui; sed rerum altiores docet cognoscere causas. Cum autem Medicus, ut gravissimo, serioque muneri, ut miserrima, dolens, sibi que commissa, humanitas postulat, satisfaciat, et rerum causas cognoscere, et his super rectè loqui, et ritè demum mederi debeat, non tantum arti Medicæ, verum etiam Grammaticæ, et Physicæ manum adhiberi convenit. Id de Canonibus, id de Legibus, ac etiam de sacra

Theologia, moderato discrimine, dici poterit. Si vero, ut res meliori in lumine collocetur, de nobili, præstantissimoque Jurisperiti munere loqui velimus & quomodo, licet leges, quantum humano tribui potest ingenio, tandem evolve-rit, quomodo, inquam, in implicatissima, turbulentissima, sæva innocentia cum pravitate, moderationis cum audacia, honestatis cum turpitudine, pugnâ accutissima ratiocinii tela conjiciet, errorum monstra confodiet, passionumque tumultus dicendo dissipabit sine Logica? Quomodo rectè, aptè, invictèque loquetur sine Critica? Quomodo copiosè, et affluenter sine Physica, sine Historia, sine Canonibus, Jureque naturæ? Quomodo efficaciter sine Ethica? Quomodo facetè, vividè, et, prout oporteat, lepidè sine Pœsi? Quomodo denique sine uberrima, fecundaque Eloquentia jucundè? Si ergo, hæc omnia, etiam si plurima videantur, munus Advocati compleant, et omnibus seriò incumbere, quantum in se sit, vires, animusque valeant, necessario tenetur, eâ tamen lege, ut potiora primum, minus præcipua autem secundum vindicent locum.

Si verò non utilitatem, non necessitatem, sed tantum voluptatem, quam ex hoc literarum, venustissimarumque artium studio exhaurire possumus, contemblemur & quis non incenditur, quis



non rapitur, diùque, ac noctu in his omnibus, vel tantisper libandis, tempus impendit? Quid de te proferam, jucundissima, dulceque mentium delectamen, et pastus, Pöesis, quæ, vel una, incondita, nascens, primævis jamjam temporibus, rudas gentes consociasti, ferosque animos cantu, mentesque dulcedine rapuisti? Quid de te, Physica, quæ immensum orbis compagem, ipsamque naturam arbitrio subjecis, hujus abscondita penetralia invadis, eandem secretam opprimis, ab ipsaque, etiam renuente arcana, et reluctante mysteria, extorques? Quid de te, eximia, subtilis, alta Mathesis, quæ Cælos radio metiris, astraque lucentia calculo, tanquam in statera ponderas? Quid de te denique, veneranda morum Scientia: munus è Cælo delapsum, hominibusque in salutem, societatisque nêxum concessa: quid de te proferam, quæ sic hominum pravitates, virtutes, studia perspicis: sic spem alis, metum depellis, passiones refrenas: sic animo toto, homineque potiris, ut qui te polleat, et inextricabilem hominis labyrinthum certè introisse dicatur? Quòd si de Historia, de Eloquentia, de Critica, cæterisque humanæ mentis præstantissimo ornamento, atque decore, loqui velimus: quoniam abiret oratio?

Si autem hominem studiosum, ut privatam

tantum, studiorum curriculo jam peracto, et in hominum commercio, in implicatissima, variatissima, et modò rustica; modò culta: modò jucunda; modò seria: modò fæminarum: modò virum: nunc denique gravi, splendida, nobili; nunc humili societate consideremus ¿quid faciet? ¿An, si Medicus, ne in cæteris percurrendis æternus evadam, est, non nisi de Medicina loquetur? ¿Præclarus tantorum annorum labor! ¿An taceat? Optimus tantarum vigiliarum fructus! ¿An ignota, ne taceat, vana, aut stupida proferet? ¿Mirum, et dignum Literati decus, et honos!

Quod si, ut accidit, gravissima Reipublicæ officia petat, publicique tandem muneris, atque consilii particeps supponatur ¡heu! videte qualia, quantaque munera ambitis, juvenes: videte quali, quantaque instructi esse debeatis scientiã! et sive animarum Rectores, sive Duces; sive Doctores, sive Magistri; sive Judices, sive Patroni; sive Remp. denique diligatis, sive vosmetipsos ametis, semper præ oculis sit, semperque in auribus insonet illa M. Tullii sententia: sine omni sapientia, atque doctrina (1) nemo florere, nemo præstare potest. Danda, igitur, opera est,

---

(1) Cic. ibid. lib. 2.

omni studio curandum, ut præter peculiarem cujuscumque, quam elegerit facultatem, his præstantissimis artibus, ac disciplinis, quantum in nostra potestate sit, resque patiat, mentem imbuamus.

Id seclî prudentia exigit, id et nostri hujus Hispani Regni regiminis forma necessario reposit. Apud nos, in hac nostra carissima Hispania, in qua ea est Parochorum, Prætorum, Advocatorumque bonum faciendi potestas, ut eorum probitati, scientiæ, atque prudentiæ ferè omninò mândata sit populi instructio, opum, rerumque publicarum promotio, atque directio ꝑ quomodo hi, quibus tantum concessum est patrare bonum, obibunt munera tanta, si cum tot artibus, ac disciplinis, ut implicatissima populorum œconomia exigit, pollere debeant, non nisi ad summum, aliam, vel aliam tantum percalleant? Quomodo popularem industriam, opesque communes promovebunt sine Œconomia? Quomodo publicas regent conciones, animosque sedabunt sine Eloquentia? Quomodo ex præteritis de præsentibus, et futuris judicabunt, ac providebunt, sine temporum testi, lumine, atque magistra mentis, Historia? Juvenes! Si qua est apud vos mea magistri auctoritas, fides, atque potestas: si quid honos, et gratitudo pectora tangunt, unum vo-

bis commendo, unum nobis omnibus sanctum, et intemerandum amabo, quod nempe sic nos quibuslibet in studiis excolendis geramus, sic Patriam in omnibus ob oculos constanter esse, colimus, ac subire euremus, ut supremæ ipsius saluti, altisque consiliis interesse aliquando possimus.

Quod seculi prudentiam attinet, carissimi, videte deprecor, atque hortor, animadvertite quibus in temporibus simus, Terræque quâ parte vivamus. Ea enim est paucis ab hinc annis scientiarum impulsio, mentiumque et eventibus, post hominum memoriam stupendioribus, ac maximis, tum et experimentis, ex omnique periculorum genere excussio, atque excitatio, ut, tum de divinis, tum de humanis, nullis ferè limitibus mens humana contenta, plura appetat, plura roget, plura desideret, nec paucis facillè acquiescat, cum passim de omnibus, aut ferè omnibus, quotquot in natura sunt, agi, simulque pertractari animadvertat. Quot, quantisque imaginibus, rerumque diversissimarum speciebus uno, eodemque tempore mens obruitur, quot, quantis, quàmque innumeris, ac etiam novis, cupiditatibus simul incenditur, opprimitur, atque excitatur! Modò enim agitur de novo orbe reperto: de mari, antèa impervio, pererrato: de novò condita scientia: de commercio, de industria, de

œconomia: de Cœlo insignioribus phœnomenis splendente: de Terra conflictu elementorum rabidè scissa: de cæde, de vastatione, de ruinis: de Imperio repentinâ ruina subverso; de novo è ruinis, etiam repente, luce eâdem instaurato: de bello, de pace, de republica: atque, ut paucis plura comprehendam, quidquid antea duobus, tribusve seculis contingebat, aut agebatur; nunc, nescio quo præcipite naturæ pondere, uno sæclo; immo uno anno; fortè uno mense, una die jam evenire notamus. Hinc cæcus undique percunctandi furor, rabiesque fingendi: hinc monstra, et errores profligandi necessitas. Hic veritas cum falsitate; illic falsitas, audacia, turpitude cum veritate pugnant. Omnia de more trahuntur ad quæstionem: mundus se philosophicum conclamavit, atque, ut rem cum doctissima Quintiliani auctoritate sprimam, quæ velut propria tantum Philosophiæ sunt, passim tractamus omnes. Omnes, etiam pessimi, de justo, et æquo loquuntur: omnes, etiam rustici, de causis naturalibus quærunt. Si, ergo, cordati, et sapientis est, temporibus inservire in his omnibus, in quibus neque honos, neque Patria, neque Religio periclitantur; immo verò roborantur, atque fulciuntur, quæ temporum propria sunt, temporibus tribuamus.

Si vero de dogmate, de Religione, caro, dulcique cujuscumque pignore, loqui velimus quot, quantisque, et quidem impiissimis, difficultatibus, ac etiam sophismatibus, his præsertim temporibus peti, et ¡heu! consultò, meditata temeritate aggredi, ac etiam conculcari videmus! Et aliunde ¿quot ex Physica, ex Astronomia, ex Critica, quotque speciosissima, ac etiam nova, ex Geographia argumenta sumuntur? ¿Quot deliramenta, quot fabulæ, quot opinionum monstra Rethorices, atque etiam Poësis fastu, et ornatu decorantur, captuique inexpertium teterrima venustatis larvâ teguntur, ut vix quidem à peritissimo, versatissimoque homine distingui queant? ¿Ecquî autem fieri poterit, ut pestilentissima hujusmodi veri specimina solvat, profliget, neque discernat, qui non tantùm has jucundissimas, præstantissimasque artes seriò non coluit, sed nec in utilia, et certò necessaria referenda putavit.

Superest tantùm, ut commendatissima hæc, luculentissimaque veritas, ex veterum testimoniis celeberrimorumque hominum roboretur exemplis. Sed ¿qua de causâ, vos, vestramque omnium integerrimam fidem obtestor, atque obsecro, Platonis, Aristotelis, Catonis etiam et Tullii: et recentioribus jam temporibus, Newto-

nis, Baconis, Leibnitii: de la Harpe, Rollin, D'Agüesseau, Racine apud Gallos: en inter nos Antonii Lebrixensis, Nicolai Antonii, Antonii Augustini, atque, ut huic nostræ ferè omnium ætati justus honos tribuatur, Campomanes, Jovellanos, Melendez, qua de causa, inquam, horum, aliorumque virorum commendatissima nomina tot laudibus cumulantur, nisi quòd, non una tantùm; sed pluribus artibus, ac disciplinis, studio, atque prudentiâ mirificè consociatis, præcelluerunt? *Neque se tanta in eo*, Quintilianus de Cicerone asserere non verebatur, *neque se tanta in eo unquam fudisset ubertas* (1), *si ingenium suum consepto fori; non naturæ finibus terminasset.*

At multa desideras, multa exigis, quosdam exclamare audio, majoraque proponis, quàm quæ mens quidem sectari possit, et quibus obeundis, nec vita hominis, cujus brevitatis est, fortè sufficiat. Sed pro sacerrimo, colendoque scientiarum numine, et bono, quæ tot commendatissimi Viri tanta cum laude adimplêrunt, an non assiduo, constanti studio, atque labore, vel medio-criter saltem, et nos implere possimus? Nec omnia omnibus, nec pari gradu, nec simul, eo-

(1) Instit. lib. 12.



demque tempore addiscenda præcipimus. Magistrorum, suæque cujuscumque prudentiæ muneris est, et quæ, et quomodo, et quando, prout utilia, aut sibi necessaria sint, adimplenda præfigere. Non equidem omniscios cupio: absit; mallem tamen, ne, ut fit, plus justo protraheretur opinio, quod nempe Theologus non nisi Theologiæ, Jurisperitus Juri, Medicus autem non nisi Medicinæ vacare oporteat. Sed quantumcumque gravis, et ardua hæc tanta difficultas interpretetur: quantumvis indissolubilis supponatur, unum saltem ab omnibus in concessis habendum puto: quod nempe methodo, ratione, et ordine omnia breviora, omnia clariora; atque, etiam difficillima, et ardua, obvia, et facilia evadunt. Præterquam quod, si cui multa exigere videor, dicam cum Quintiliano (1), nescit equidem quale, quantumque sit doctum efficere: quod, ut obtinere possimus, *et studio perpetuo, et præstantissimis præceptoribus, et pluribus disciplinis est opus, unde non tantum selectiora; verum etiam optima sunt præcipienda.*

Quod mentis limitationem attinet, non satis perspiciunt hi, cum eodem Quintiliano respondeam (2), non satis perspiciunt, quantum hu-

---

(1) Instit. lib. 1.

(2) Ibid. (1)



mani ingenii natura valeat, quæ sic est agilis, et velox, sic in omnem partem convertitur, intimoque, ac etiam ineluctabili sciendi desiderio trahitur, ut difficilius quidem uno tantum contineatur; quàm extendatur ad plurima. ; Ecquis autem sibi persuadere poterit irritum, innane esse validissimum hujusmodi desiderium, atque conamen, quod non unius loci; sed omnium: non hujus; sed jam actæ, et futurarum ætatum: non tempore, non educatione, non arte confectum; sed ingenitum, ab ipsaque natura inditum constanter observamus? Quod cum inficiari nemo possit, non nobis mens, carissimi, non nobis mens; sed nos, nos, dicam apertè, menti deficimus. Præterquam quod ; qualia, quantaque superflua, ne dicam perniciosa, discuntur, quibus non implicata mens, major ad utilia esset? At quomodocumque res se habeat, unum saltem ab omnibus concedi oportet, idque vobis diligentissimè menti mandari commendo, quod nempe *homo, seriò ad utilia paratus, major quidem est, quàm qui possit difficultatibus obrui: quodque ad selectiora, et optima vires intendere oportet, si mediocria saltem attingere desideramus.*

Quod vitæ tandem brevitatem spectat ; heu! brevis, fugax, atque ut graviora, tristissimaque concedam, mera quidem umbra vita hominum

est; sed brevius nobismetipsis tempus effcimus.  
 ¿Quantum enim nobis sæpe spectacula auferunt?  
 ¿Quantum otia, ludi, fabulæque consumunt?  
 Quantum operosus, vanus utcumque, atque  
 etiam ad furorem usque protractus, salutandi  
 labor? ¿Quantum denique, ut gravissima, in-  
 gratissimaque alia prætermittam, nimia, prolixa,  
 et certè insana corporis cura? Numeramus an-  
 nos, quos pendimus, eosque computamus, tan-  
 quam ex integro consecratos studio, unde id ne-  
 cessario sequitur, ut, ad nonnulla, nec admodum  
 difficilia addiscenda, non unam; sed plures vitas  
 desideremus. Sed pro vestra omnium candidissi-  
 ma probitate, et fide ¿quantum adhuc temporis  
 literis consecrare possemus, aut etiam consecrâsse  
 credimus, quod revera non consecravimus! Præ-  
 terquam quod celeberrimi illi Viri, quorum præ-  
 clarissima nomina ad nos usque pervenerunt ¿an  
 non de acerva mortalitatis fæce gustârunt, aut  
 insolita sêcla fortè vixerunt?

Sed adhuc unus, et quidem non infrequens,  
 error superest profligandus. Ex sêxaginta, aut  
 octoginta annis, quos vivimus, decem, aut  
 quindecim de more consecramus studiis, quibus  
 peractis, aut in æternum literis valedicimus,  
 aut saltem, acto contenti, valedicere posse pu-  
 tamus, sic ut, studiorum curriculo quovis modo

peracto, aut alienum prorsus, aut grave, aut etiam indecorum, atque probrosum, novò studere putemus. Sed mihi credite, juvenes: unum adulto, sicut ei adolescenti pudendum, unum probrosum esse potest, nempe, non studuisse; at studere nunquam. Honestius quidem homini est serò studere, quæ nescit; quàm in perpetuum nescire, ne serò, et aliquando tandem studeat. Nec tanta hæc ætatis excusatio est, tantique habenda, ut vos, si adulti, à consilio, si adolescentes, ab incepto deterreat. Senex jam Cicero, et cum jam præclarissimum nomen tum in populo, tum in senatu, tum celeberrimos inter Patrones obtinuisset, in Rhodiam insulam se contulit, ut novò et Philosophiæ, et Eloquentiæ, quibus tantoperè præcellerat, operam daret. Celeberrimus M. Cato, cujus immortale nomen, et famam utinam, ut colere, sic æmulari possemus, jam senex, nec inscius homo, literas didicit græcas. Lucullus tandem, studentissimus ille Lucullus, tot encomiis à Cicerone, tot laudibus cumulatus, adultus, provector admodum, quæstoria dignitate auctus, et quod majus revera est, in tentoriis, inter phalanges, ac in strepitu armorum (seriò enim cupienti, neque ætas, neque arma, neque dignitas obstat) in strepitu armorum, inquam, avidus, et Philosophiam, et omne lite-

rarum genus, ceu togæ, colebat. Si, ergo, nihil admodum in rerum naturâ prohibet, neque prohibere valet, quominus vires, et animum, non quidem ad omnia; at saltem ad plura prudenter intendamus, id semper nobis pergratum, id moris esse curemus, ut quæ facienda, et quo tempore, methodo, consilioque facienda sunt, fiant; et quæ non fecimus, serò etiam, et quoquo modo possint, aliquando faciamus.

Quæ cum ita sint, clarissimi Viri, si congrua, si utilissima omnino sit prudens hujusmodi in literis excolendis mentis intensio: si plurimarum artium consortium, prout expositum est, per se ipsum commendatur: si id ipsius rei natura exposcit: si decus postulat: si seclî prudentia exigit: si denique tot celeberrimorum virorum exemplis, totque præclarissimis monitis, et universa, quàm latè patet, antiquitas, tum et recentior ætas, id ipsum inculcat, monet, atque persuadet: et quod sanctius, quod carum, quod verendum nobis omnibus esse debet, si Patria, si Religio pro communi cùjuscumque salute, et commodo id ipsum sperent, imperent, atque optent: cujus, nisi nostrum est, ornatissimi Viri, amplissimique Doctores, cujus nisi nostrum id ab initio, quâ facundia, et efficacia simus, intrudere, studiorum curriculo perdurante repetere,

finitoque viribus, et corde extollere, hortari, et commendare? Cujus, nisi nostra magistrorum interest, id semel, et iterum, sæpè, et sepiùs carissimos ex corde Alumnos commonere? Videamus, mi carissimi Collaureati, quale, quodque humeris incumbat onus. Subeat unicuique nostrum quantum ex nobis sperat Patria, amicorumque opinio. Animadvertamus oportet, quantum boni diligentes peragere; quantum mali negligentes, aut irreparabile prorsus, aut serò quidem reparandum, irrogare possimus. Suam nobis Patria juventutem commendat: suum carum ex nobis fulcimentum accipiat. Sic Magistrorum gravissimum munus: sic Doctorum, atque sapientum nomen expostulat: sic anxia, et sollicita parentum cura: sic nostra cuique carissima Patria, sic sancta Religio. Invigilemus, igitur, diù, ac noctu: demus solliciti tanto muneri operam, laboremus. Sint nobis hæc omnia religioni, et curæ: id tandem agamus, ut nos, si non tanto honore, et munere, si non opinionis laude: si non hujus nostræ præclarissimæ, semperque dilectissimæ Matris præstantissimo gremio dignos, saltem non indignos præbeamus.

Et tu, prædilecta Juventus, cujus apud nos tam cara est instructio, atque illustratio: tu, cui sic placida, atque jucunda, hæc, tandiù expec-

tata, arridet nova dies, et cujus saluti, et commo-  
do tot præstantissimi Viri seriò inservire parantur,  
id age, ut prudentissimis eorum monitis, insig-  
nique erga te Augustiss. Imperantis sollicitudini, et  
curæ, libentèr, grata, docilisque obsecundes. Tua  
profectò utilitas, et gloria est, tua æmulatio; nos-  
trum autem immane, arduum; sed libentissimum  
nihilominus onus, et labor. Quâpropter macté ani-  
mo esto, juvenes: mactè animo. Tantorum cele-  
berrimorum hominum, ut vos in hac honoris, et  
gloriæ via præcesserunt, vestigia premite: tendite  
quò cœpistis, et prompti, strenui, assidui in hæc  
jucundissima studia, in quibus estis, incumbite,  
ut, et vobis honori, et amicis utilitati, et Patriæ  
commodo, et huic nostræ communi Matri orna-  
mento, atque decori, et Religiõni tandem robo-  
ri, et fulcimento esse possitis. *DIXI.*

12.000

